



# The Holy See

---

IOANNES PAULUS PP. I

LITTERAE APOSTOLICAE

***SACRA DIOECESIS PLACENTINAE AEDES  
BEATAE VIRGINI MARIAE SUB TITULO « A CONSOLATIONE »  
VEL ETIAM « A SANCTO MARCO » DICATA LEGITIME ATTOLLITUR  
AD CONDICIONEM DIGNITATEMQUE BASILICAE MINORIS\****

Ad perpetuam rei memoriam. — Progredientibus iam plurium saeculorum aetatibus sacrarium Bedoniae intradioecesis Placentinae fines cultui dicatum Beatae Virginis Mariae a Consolatione sive, vulgari ex appellatione, Dominae Nostrae a Sancto Marco, ita assidue studioseque frequentatum est tamquam seminarium pietatis fidelium et sedes institutionis sacerdotum et meta undique illuc peregrinantium ut non tantum quasi centrum quoddam vitae totius dioecesanae pridem evaserit sed nuperius etiam instaurata reluxerit ampliore aedium complexu situ rerum convenientiore dignioreque ornatu. Nihil vero aliud Episcopus ipse Placentinus, Venerabilis Frater Henricus Manfredini, deesse existimavit ad maximum loci sacri decus aedificiique novi splendorem quam publicum Basilicae Minoris titulum quem proinde motis fidenter precibus ab hac Sede Apostolica suo tempore efflagitavit. Cum porro Nos, ponderatis rationibus singulis, arbitremur talem liturgicum honorem revera plurimum deinceps profuturum esse variis probabilibus sacrarii eiusdem usibus nec non spiritalibus demum commodis et fructibus illud adeuntium, idcirco accipientes iudicium Sacrae Congregationis pro Sacramentis et Cultu Divino prompta voluntate adsentimur roganti Ordinario ac pro Apostolicae potestatis Nostrae plenitudine constituimus harum Litterarum virtute ut templum istud, quod commemoravimus Deo consecratum in honorem Beatae Mariae Virginis quodque « a Consolatione » sive « a Sancto Marco » communiter nuncupatur, legitime evehatur ad gradum ac dignitatem Basilicae Minoris eique addantur iura cuncta et privilegia, quae aedibus hoc nomine auctis rite conveniunt. Praecipimus tamen ut universa illa accurate serventur, quae secundum Decretum « De titulo Basilicae Minoris » die VI Iunii mensis anno MCMLVIII emissum serventur oportet, contrariis quibusvis minime obstantibus.

*Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub Anulo Piscatoris, die I mensis Septembris, anno MCMLXXVIII, Pontificatus Nostri primo.*

IOANNES Card. VILLOT, *Secretarius Status*

---

\*ASS, vol. LXX (1970), pp. 758-759.

---

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana